



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Pro commendandis eleemosynis varia dicta. cap. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

pro Dei amore, quem animo conceperunt, etiam si non multum commendatio urgeat. Vigesimoquarto Cypr. patrimonium Deo creditum, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit; In tuto hereditas ponitur quæ Deo custode seruatur. Hæc possent videri satis, sed placet adhuc addere multiplicem variarum rerum supellectilem, ne eadem cantinella sapius decantata animos ad pietatem obduret, aut aures obtundat.

De opere & Eleemosyna.

Pro commendandis Eleemosynis varia dicta.

Cap. VII.

Primo nunquam minuuntur opes, eleemosynas largiendo Clem. comparat Eleemosynam scaturienti puteo, qui etsi haurias multum, denuo scaturientibus & recentibus aquis repletur, & vberibus quæ si mulgeantur, rursus nouo lacte abundant. Basil. similem esse ait frumento in terram proiecto, quod cum fenore redditur.

3. pad. c. 7.

In Diu. Hom. 1.

Eleemosyna aperit Cæli.

Secundo, eleemosyna est quæ clauis habet cæli, Salomon fecit ostia Sancti Sanctorum ex lignis Oliuæ quæ misericordiarum Symbolum est, & Christus in Cælum ascensurus Oliueti montem subijt. Vnde est illud Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Matth. 5.

Qui eleemosynam confert, exerceat se cum Deo.

Pro. 19.

Tertio, qui pauperi dat pecunias Deo fœneratur, nulla præter hanc, licite exercetur vsura, Fœneratur Domino qui miseretur pauperi, estque planè grandis vsura, vnum dare vt centum recipias. Adde alijs fœneratoribus quatuor onera subeunda esse. Primum molestia conficiendi tabulas, vt constet ratio dati, & accepti, Secundum est infamis inter homines opinio; Tertium cruciatus conscientiarum, Quartum necessitas restituendi. Contra Noster fœnerator, nec rationum cura operatur sed dicit vt Paulus, scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare, magnam verò laudem apud Deum, hominesque consequitur, conscientiarum magna quiete, & gaudio fruitur, Denique Deum habet debitorem.

Est Vectigal à Deo impositum.

Quarto, dici potest hæc eleemosyna quam erogatis Vectigal quoddam, à Christo Domino impositum ex charitate animoque prompto soluendum, Pauperes, qui pro foribus astant, vel in via occurrunt, vel qui pro eis colligunt, exactores sunt ab eodem Christo destinati ad hoc tributum colligendum. Ego verò Concionator præpositus sum exactoribus, & operi,

operi, nollem meam hic diligentiam desiderari, ne conque-
ratur Dominus: qui exigunt magnificiant suas partes merce-
dem à Christo reportaturi, qui petuntur tribuant non vt exa-
ctiorem, sed vt benedictionem.

Finis Dei in
eleemosyna
statuenda.

Quintò in statuendis eleemosynis duplicem finem potuisse
Deum habere asserit Chrysostomus vel in beneficium paupe-
rum, vt inopia subueniretur, vel in gratiam largientium vt
præmium reportarent virtutis, & gloriæ, hunc autem secun-
dum finem, ait Chrysostomus esse Deo præcipuum nam ob pri-
mum non defuissent Deo Thesauri multi, quos sub Terra no-
uit absconditos possidetque vim terræ tribuere ad fruges semper
copiosas progignendas, verum ita voluit Diuina prouidentia,
vt essent qui paupertatis molestias paterentur ad patientiæ
vsum, & præcepit diuitibus vt eos subleuant ad exercitatio-
nem charitatis.

Diuites imi-
tentur flumi-
na.

Sextò, diuites flumina imitentur, quæ de mari exeunt, & ir-
rigant fecundantque campos, & tandem in mare redeunt,
ita diuites, à Deo suas agnoscant opes, inopum familiarum,
terram irrigent arentem, vt in morte rursum ad mare diuini-
tatis, præmium accepturi redeant.

Diuitiæ sunt
stercora.

Philip. 3.

Septimò, quare D. Paulus omnes opes stercora vocat cum
ait omnia arbitratus sum, vt stercora? planè hæc stercora ne-
quaquam debent intra arcas seruari, quia suo fetore totam
domum inficerent, sed ea est vtilitas, vt per campos projiciantur
ad ferendos vberes fructus Chrysost. si quis ait propter
parsimoniam frumentum domi situm non consumpserit, nec in
terram iecerit id vermibus exedendum tradit, sin autem disper-
serit maiorem messem colliget.

Theriaca cõ-
tra venenum.

Octauò, eleemosyna est antidotum, & maximè vtilis The-
riaca contra venenum Auaritiæ, In componenda Theriaca,
adhiberi solent carnes Viperæ, quæ licet veneno infectæ sint, ta-
men venenum, si diuidantur, extinguunt, Ita planè pecunia est
magna multorum pernicies, quos, tanquam veneno infectos
enecat, dum ei obediunt, & cupiditatibus, & à Paulo dicitur
omnium malorum radix, & tamen ipsa eadem est quæ reme-
dium afferat si diuidatur in pauperes, vt Christus docuit, fa-
cite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defece-
ritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Audi quæso confi-
lium vtile, Damnatus es in pecunijs tuis, redime te pecunijs
tuis, de instrumento Auaritiæ, & libidinum fac instrumentum
misericordiæ.

1. Tim. 6.

Aliqui pro-
digi cū mun-
do Auari cū
Deo.

Nonò,

Nono dicendum est mundanos homines, esse mundo, ac Dæmoni prodigos, avaros Deo. Exod. Pro vitulo aureo, idest, Exod. 31. pro Idolo dederunt aurum, & gemmas, quæ nescio, an vero Deo pro pauperum necessitatibus obtulissent.

Decimo Petrus Chrisol. manus (inquit) pauperis, finis est Abraham, ubi quicquid pauper acceperit mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit, ne pereat in Terra reponit in Cælum, da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum, da nummum, vt accipias regnum, da micam, vt accipias totum, clamat Deus misericordiam volo. Discurus causam, in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam assume, & misericordiam consequeris]

De Ieiun. et ele. ser. 8. Misericordia patrona apud Deum.

Vndecimo Deus ad Isaiam loquitur, clama, ne cesses, eratq; adeo iratus, vt nec ieiunijs eorum placari vellet cum dicerent, quare ieiunauimus, & non aspexisti; humiliuimus animas nostras, & nescisti? Quid ergo ad auertendam Dei iram superest remedij? ipsemet Deus docet frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, &c. & subdit. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum; Tunc inuocabis, & ego exaudiam.

Isa. 50.

Ad Dei iram auertendam.

Duodecimo affert eleemosyna magnam animæ securitatem, & quamuis de sua salute in hac vita, nemo possit esse securus. Est tamen eleemosyna magnum huius salutis indicium. Tob. Eleemosyna à morte liberat, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam; Vide quantum priuilegium. Quod si afferas Paulam dicentem si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Respondeo loqui Paulum ex quadam positione, nempe si ita eueniret; Ego autem dico vix hoc futurum Eccl. à misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabuntur.

Securitatem animæ affert.

1. Cor. 13. Eccl. 23.

Decimotertio, D. Paul. citat Christi sententiam beatius esse dare, quam accipere; res est planè illustris dare, in qua tota natura nobis præbet exemplum, Cæli dant lumen, & alias occultas vires, ignis calorem, aer, auram spirabilem, Terra tot fructus, mare tot pisces, animalia dāt lanas, lac carnes; pater æternus dat filio suam naturam pater, & filius eandem Spiritui sancto; Tota Trinitas homini tot creaturas contulit, filius nostræ naturæ suam personam, dat nobis in venerabili sacramento suū corpus, communicat cælestem gratiam, multiplicia donā. Turpissimum igitur sit, si nos qui ab omnibus creaturis, & Deo tam multa

Beatius est dare, quā accipere. Act. 20.

Exemplum.

multa recipimus non etiam discamus, largiri, non habentibus, quæ possumus.

Eleemosyna
cum verbo
Dei iungenda.

Decimoquarto, Concionator perinde est, ut qui adornat conuiuium, & inuitat multos, ad ipsum pertinet proponere in mensa varios cibos, & scite paratos, ut conuiuia vescantur, hoc igitur ad me spectat, sed cibus sine potu vix placet, potus est, mensa iudice, pium eleemosynæ opus, quod mirifice adiuuat comestione, solet autem in conuiujs, magna cura adhiberi, ut vinum exhibeatur eximium, hoc vero ad vos spectat, ut ad me de cibarijs prouidere, ergo ut vobis, quæ propono cibaria proficiat, bibite alacriter, & haurite de optimo vino.

Excusant alii
qui filios.
Escr. 4.

Decimoquinto, aliqui sunt, qui filijs carent, & tamen sunt auaritia dediti nesciunt cui congregant, quod apud Salo: dicitur, quid pessimum, Considerans (ait) reperi, & aliam vanitatem sub sole, vnus est, & secundum non habens (id est heredem) & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens, cui laboro? Dices, si prolem Deus concederet, ego libenter largissimam offerrem eleemosynam. Audi quæso quisquis es. Ut video haud maioris Deum facis, quam hominẽ, quasi vero contrahendum sit cum Deo, velut cum homine certis conditionibus. Ne quæso dicas, do, ut des, irreuerenter cum Deo, ita te geris, sed audi me quæso. Da prior, deinde ora Deum, ut si ad eius gloriam tuamque cessurum sit salutem, quod concupiscis obtineas, & si res ad votum cesserit, age gratias, sin aliter, non deerit in cælo palatiũ, sicut Romano Ciui contigit, qui templum S. Mariæ Maioris, extruxit, & Beatissimam Dei matrem heredem instituit.

Eleemosyna
cum Ieiunio.
Chrisol. de
fec. & ele.

Decimosexto, Pet. Chrisol. Talis est (inquit) eleemosyna comparata ieiunio, quale est Ver telluri, oleum lucernæ, sol Dici, anima corpori, quia sicut sine anima perit corpus, sine oleo lucerna extinguitur, sine verè tellus non germinat, sine sole non est dies, sic ieiunium, & oratio absq; eleemosyna, sed sicut in verè floret tellus, cū oleo splendet lucerna, ad presentiam solis fit dies corpus cum anima viuit. Ita ieiunium, & oratio cum eleemosyna.

Ioannis eleemosynarij
sententia.

Decimosextimo, S. Ioannes appellatus cognomento Eleemosynarius Patriarcha Antiochenus, vocare solitus fuit pauperes, dominos suos, quia ipsi ei opem ferre possent, ne à Dei regno excluderetur.

D. Francisci
sententia.

Decimooctauo, D. Franciscus teste Bon. in eius vita fratribus suis solebat dicere, ut nullo modo eleemosynas mendicare erubescerent, quia maiora ipsi largiebantur, quam acciperent, & dantes

dantes ipsi copiosius ditabant, & dicebat hanc esse nobilem, prodigalitatē, quæ pro pane, diuinum redderet amorem, vt si quis pro pane daret aureos decē, & addebat eo tempore, quo refrigebat hominum charitas, Mendicantium religiosos ordines institutos, diuino consilio, & beneficio, vt hac occasione, homines diuina charitate ditescerent.

Decimonono, Nescio an audiueritis aliquando discrimen, quod inter Dialecticam, & Rhetoricam aliqui Philosophorum constituerunt Illa comparatur manui constrictæ hæc dilatata. Ita video in danda eleemosyna placere aliquibus vt sint dialectici, magis quam Rhetores. Certè in hac nostra schola Rhetoricam facultatem profitemur non Dialecticam. Itaq; seruandū est, quod de muliere forti prædicat Salomon, manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes.

Vigesimo, Diuites auari similes sunt Ericio, qui ingressus forramē, in quò bestiolæ, quædā latebant, inflatus, ac spinas erigēs & per cauū illud incedens dicebat, qui manere potest maneat eo pacto, expulsis contubernalibus solus domicilio fruitur. Ita planè dicere possumus aliquibus auaris, assiduè coaceruatibus opes, nunquid vos soli regnabitis super terram? nullusnè reliquus erit pauperibus locus? Verum est tamen etiam illud, malè cadere ouibus inter spinas, facilius, erit, vt de lana sua, aliquid spinis adhareat, quam pabuli quicquam ipsæ inueniant.

Vigesimo primo, vereor ne aliqui vestrum similes sint equis conducticijs, qui assueti calcaribus, quamuis vrgeat eques vix ab assueto gressu dimouentur. Ita quidam toties audierunt Concionatorem, eleemosynas flagitantem, vt iam callum in auribus obdlexerint.

Vigesimo secundo, Serapion fuit adeo in pauperes pius, ac liberalis, vt omnia dederit solam sibi vestem reseruans, & librum Euangelij, quem legeret, deinde etiam vestem donauit, & seminadus incedens rogatus, quis eum veste nudasset, manu librum Euangelij ostendens, En (inquit) qui me spoliavit. Rursum etiā librum vendidit, vt pecuniam pauperi largiretur, dicebatque illius se libri lectione multis rationibus, ita se ad misericordiam impulsū, vt etiam ipsum librum in eundem finem diuendere placuerit.

Vigesimo tertio, vellem à vobis scire, vtum sit magis rationi consentaneum, vt diues quærat pauperem ad erogandam ei eleemosynam, an pauper diuitem ad petendam. Mea quidem sententia equius videtur primum, quis enim dubitare queat longè

Discrimen inter Rhetoricum, & Dialecticum.

Auari similes Ericio.

Isa. 5.

Exemplum Serapionis.

Diues quærat potius pauperē, quā contra.

*Ho. 33. &
sequent.*

Prou. 22.

Habitus dādi
eleemosynā.

Exemplum
B. Catharinæ
Senensis.

*Ser. 5. de
uer. Dom.
In cap. 7.
Eccl.*

longè plus diuitem . lucrari dando , quam pauperem accipien-
do , vide Chryf. Vera ait eleemosyna est sic dare , vt gaudeas te
dare , putans te accipere magis quam dare , non enim tam pau-
peribus , quam nobis profumus plura accipientes , quam dan-
tes] in Prou. dicitur diues , & pauper obuiauerunt sibi , vtriusq;
operator est Dominus , quæso te vter fortunator in hoc occur-
su est? sine dubio diues , quia pauper Christum representat , &
Christo datur quicquid in pauperem erogatur .

Vigefimoquarto , cuperem ipse scire , & optarem vos , id etiā
nosse , vtrum habitum illum dandi eleemosynas adhuc vobis
comparaueritis . Vnde hoc (inquires) sciri potest ? Aristotelis
sententia est , signum possidentis habitum , esse facilitatem ope-
randi , In promptu iam est modus faciendi periculum , si facile ,
ac promptè dabitis , quod peto , signum habitus est , nec opus
erit , vt ego multum vos incitem , quod si nondum habitum estis
consequuti , quid iā remedijs? certa eiusdē est Arist. sentētia per
frequentatos actus acquiri , & perueniri ad habitum , date ergo
vt aliquando perueniatis , sicut fabricando fabri fiunt homines .

Vigefimoquinto , Beata Catharina Senensis , quæ ad pauperes
cor habebat pietissimum , cum aliquando roganti pauperi ,
nil quod donaret , haberet , domi diligenter querens paruulam
argenteam crucem inuenit , quam inopi continuò porrexit ;
Noctu Christus ei apparens , ostendensq; illam crucē , In die (di-
xit) iudicij , se crucem illam publicè ostensurum , in testimoniū
pietatis sicut , & D. Martino apparuit , veste indutus , qua pau-
perem contexerat .

Vigefimosexto , August. Mendici (ait) Dei sumus , vt agnoscat
ille mendicos suos agnoscamus nos , & nostros .

Vigefimosextimo , Ambr. in illud sicut aqua extinguit ignem
ita eleemosyna resistit peccatis . comparat eleemosynam aquæ
baptismi . Eleemosyna , inquit , quodammodo est aliud animarū
lauacrum , vt si quis fortè post baptismum humana fragilitate
deliquerit super sit ei , vt iterum eleemosynis emundetur .]

Ad Idem alia dicta . Cap. VIII.

Videbor fortè alicui prolixior si assignatis pluribus locis
adiungamus , & alios , verum quoniam hæc non doctrinam
continent , quæ Concionatorem in suo munere erudiant , sed for-
mulas solum eleemosynæ commendandæ , non est quod lectorē
in legendo retardent , satis erit cum concionem est habiturus
Ecclesiastes aliquid ex his eligat , nisi melius quid in mentem
venerit , facile crediderim non futurum superfluum laborem ,
his,